



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 11. Expenditur tertius defendendi modus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

cedenti cōservabatur gratia, procedebat formaliter à creatura, sed à solo Deo; cum ergo cessare à cōservatione gratiæ, sic inducere non esse gratiæ, Deus se solo formaliter cessat à cōservatione gratiæ, se solo inducit formaliter non esse gratiæ; atqui tale non esse gratiæ est posterius omissione; ergo &c. Prob. minor Deus cessat à tali cōservatione gratiæ, sive inducit formaliter tale non esse, quia creatura omittit, & non econtrà; ergo omisio est prior tali non

esse gratiæ, sive tali cōservatione. Unde iuxta mea principia, in quibus non esse formale rei non est aliquid ens reale diminutum, positivum, aut negativum, sed purum nihil, quod inducit non esse rei, melius explicatur per negationem, dicendò *rem tollere*, quam per affirmationem, dicendò *aliquid ponere*; sed de his in Philosophia; argumenta, quibus Adversarij uruntur; facilius dissolvemus infra.

DISPUTATIO XI.

EXPENDITUR TERTIUS DEFENDENDI MODUS.

410. **T**ertium modum defendendi influxum gratiæ in actum præceptum, ut lis est, amplectitur Esparza q. 6. de virtut. Theologicis ad 5. ubi explicans, quomodo homo præventus habitibus Theologicis, sit nihilominus liber ad actus vitij contrarios læthaliter peccaminosos, utitur exemplò hominis iusti, qui liber est ad peccandum læthaliter, licet gratia sit impossibilis cum læthali, ex quo eandem cognoscit hic Author difficultatem respectu justitiæ, & gratiæ, proindeque respectu utrarumque eodem modo illam dissolvit. Esparzam secuti sunt aliqui Recentiores; an verò meliori fortunâ, quàm cæteri, quos impugnavimus? expendendum est in præsentia. Pro quo sit

SECTIO I.

Proponitur, & impugnatur ista sententia.

411. **H**ec igitur sententia docet, hominem iustum non intelligi liberum ad peccandum, quatenus præhabet gratiam in determinatione ad instans, in quo primùm existit, aut existere potest proximè actus peccaminosus; sed quatenus præhabet gratiam pro instanti immediatè antecedenti, in quo est indifferens ad cōservandam gratiam per exercitium ipsius gratiæ, vel ad destruendam per exercitium contrarium pro instanti sequenti, nam pro instanti antecedenti, puta A, est indifferens, ut per bonam operationem exerceat activitatem gratiæ, ipsamque ad sequens instans B transmittat per bonam operationem, sicque determinat gratiam, ut cōservetur pro eo instanti B, vel, ut per contrariam pravam operationem exerceat aliud principium intentivum talis operationis, ita, ut per pravam operationem impediatur transitum gratiæ ad instans B, ejusque cōservationem pro tali instanti. Quapropter gratia non est principium actus boni, in instanti B, prout translata, & cōservata in instanti B, sed sola entitas gratiæ, prout transferibilis, & cōservabilis in eo

instanti, ita ut cōservatio pendeat ab actu bono, & destructio ab actu malo.

In quo (ait Esparza) nullum est inconveniens, sicut nullum est inconveniens in eo, quòd quis, quatenus existens in spatio A, sit indifferens ad transeundum in spatio immediatum B, ita, ut prima determinatio ad transeundum in spatio B, & ad existendum in eodem sit ipsa actio transitiva, præsupponens suum principium determinativum pro priori naturæ ad existendum in spatio A, & indifferens ad existendum in spatio B, & consequenter ad cōservandam, & omittendam priorem ubicationem determinativam formaliter ad spatio A. Hoc ipsum alij explicant Recentiores exemplò durationis, quæ est modus inhærens rei duranti, tanquam accidens subiecto; cum ergo causa materialis ad recipiendum accidens debeat præsupponi pro priori existens, exinde ad recipiendum accidens, quod est sua duratio, nequit subiectum præsupponi pro priori durans, aut cōservatum, sed solum cōservabile; Unde existentia principij præsuppositi solum ut cōservabilis, & non ut cōservati sufficit ad causandum.

Explicatur enim id ipsum in cōservatione amoris immediatè libera; nam pro priori ad ipsam supponitur ipse amor cum plena, & sufficienti actualitate ad illam recipiendam, si voluntas ipsam cōservare velit, & cum proxima positiva indifferencia amittendi suam cōservationem, si voluntas illam nolit cōservare, quin hoc libertati officiat; idem ergo dicendum est de gratia, quæ solum est principium actus præcepti ut cōservabilis, non verò ut cōservati. Ex quo inferes discrimen inter istum tertium modum defendendi influxum gratiæ in actum præceptum pro instanti determinato, & alios supra rejectos, quia scilicet juxta illos alios defendendi modos, vel ex præluentia scientiæ mediæ, vel sine illa gratia ut cōservata, est principium per se actus præcepti. At verò juxta istum modum defendendi recentem, gratia, ut cōservata, non est principium per se actus præcepti, sed solum gratia, ut cōservabilis; nihilominus

modus iste pluribus ex capitibus mihi valde displicet. Supponit enim plura, quæ non probat, neque video, quomodo juxta Societatis principia probari possint, ut ex nostris argumentis constabit. Quare

144. Arguo sic contra istum tertium modum, 1. & quidem exemplis utens ipsius Adversarij: nequit Petrus se transferre ex loco A, ad locum B, producendò præsentiam immediatè liberam in loco B, (idem suo modo de duratione;) ergo nequit transferre gratiam ex instanti A, ad instans B, producendò actum immediatè liberum in instanti B. Consequentia tenet ex ipsius Adversarij explicatione: Probatur. Ut Petrus per motum localem se liberè transferat ex loco A, ad locum B, producit in loco A impulsus, qui quidem impressus corpori exigit naturaliter etiam motum corporis successivum, sive translationem corporis ex loco A, ad locum B, ad eum planè modum, quo, quando quis projicit lapidem, producit, & imprimit impulsus lapidi, qui naturaliter exigit motum localem, sive transferre, aut movere lapidem de uno loco in alium; ideòque, si resistentiam inveniat in aliquo corpore intermedio, corpus retrò trudit, quousque evanescat impulsus, qui motum lapidis exigebat.

415. Idem planè nos experimur; aliquando enim impulsus ita magnum ad se velociter movendum producit homines ignari propinqui præcipitio, ut, quando advertunt præcipitium imminens, detinere se velint, & non possint, sicque præcipites ruunt; ergo libertas, quam habet Petrus ad transferendum se ex loco A, ad locum B, est libertas ad producendum impulsus in loco A, quin corpus transferat ad locum B, ubi gressus ponatur, sive per puram correspondentiam rei ad locum, sive per tantam distantiam sive per motum, aut entitatem ab ipso corpore translata, sive à Deo productam, de quo variæ sunt Philosophorum sententiæ, quas modò notas suppono; ergo præsentia corporis in loco B, non est immediatè libera Petro, prout jam existenti pro priori ad præsentiam suam in loco B, sed est immediatè libera Petro, prout scilicet præexistenti in loco A, in quo liberè produxit impulsus, cui debebatur præsentia in loco B.

416. Sic etiam philosophandum est suò modò de duratione, quamvis duratio sit modus, aut entitas distincta à re durante, vel carentia, aut præcisa correspondentia rei ad tempus, si ponenda sit liberè duratio ab ipsa re durante, tunc enim entitas durans in instanti A, non ponit liberè durationem sui in instanti B, nisi quatenus in instanti A, liberè ponit aliquid, cui duratio debetur in instanti B, vel quatenus liberè impedit in instanti A aliquid, quod impediret durationem sui in instanti B; sic habitus acquisiti, qui in plurium sententia remittuntur, & pereunt præcisè per non usum, sive per carentiam exercitij, ut, si

non exerceatur in instanti A, amittendus sit omnino, & destruendus in instanti B, tunc enim, si homo liberè cum eo habitu se exerceat per actum suum in instanti A, ponit aliquid, ratione cujus habitui debeat ulterius duratio in instanti B.

Utrumque in homine explico: homo quidam exigens in instanti A, ulterius durare in instanti B, erit liber ad durationem suam in instanti B, si liberè impediatur in instanti A, id, quod impediret durationem suam in instanti B, sic est liber ad se interficiendum, quo impediret durationem suam in instanti B, & prout liberè omittit actum pro instanti A, qui exigeret mortem hominis in instanti B, attribuitur homini libera sui duratio in instanti B, potest enim contingere, quòd homo ob defectum alimenti moriatur; ponamus ergo, quòd, si alimentum non accipiat in instanti A, moriturus sit in instanti B, tunc enim liberè sumens alimentum in instanti A, ponit aliquid, ratione cujus debetur ulterius duratio in instanti B; idem est in luce, sic enim lux extinguenda foret in instanti B, si non subministraretur pabulum in instanti A, si hoc quidem subministratur, ponitur in instanti A, id, quod possit durare in instanti B. Quod idem dicendum est de millenis aliis.

418. Quando verò duratio provenit ab alio distincto ad rem durantem, procedere potest liberè in eodem instanti, in quo res durat, si entitas rei se habeat pro posteriori ad durationem, quod explico in sententia, quam veram video, & docui in Philosophia; etenim juxta meam sententiam duratio cujusvis rei, vel creaturæ stat in actione conservativa, cumque talis conservatio sit continuata productio, exinde, sicut actio productiva est prior re producta, ita actio conservativa, sive duratio, est prior re durante; quapropter ad durationem, sive ad conservationem amoris immediatè liberi, quem liberè conservat voluntas in instanti B, debet præcedere voluntas indifferens ad ponendam actionem conservativam, qua conservetur amor, vel ad eam amittendam, sicque amor pereat, & destruat; quod idem dicendum foret, si conservatio esset entitas; si verò conservatio sit posterior re conservata, non potest poni liberè immediatè, nisi solum ponendò in instanti antecedenti aliquid, cui debeat conservatio rei in instanti sequenti, vel impediendò liberè in instanti antecedenti, quod impediret conservationem rei in instanti sequenti. Hac explicatione rerum præmissa,

419. Arguo sic instaurandò nostrum argumentum: libertas, quam habet homo, ut se transferat ex loco A, ad locum B, vel ex instanti A, ad instans B, non est libertas, quæ exerceatur in instanti B, sed libertas, quæ exerceatur in instanti A; ergo libertas, quam habet homo simul cum gratia operans, ut se simul cum gratia transferat ex instanti A, ad instans B, non est libertas, quæ exerceatur in instanti

instanti B, sed quæ exercetur in instanti A. Anteced. patet ex dictis à num. 414. Conseq. prob. Quia sicut implicat, quòd homo præsupponatur pro priori naturæ in instanti B, quin duret in instanti B, ita implicat, quòd homo, & gratia præsupponantur pro priori naturæ in instanti B, & quòd derur tunc libertas immediata ad non durandum in instanti B; atqui ex eo, quòd homo præsupponatur pro priori naturæ in instanti B, tota libertas, quam habet ad durandû, & non durandum in instanti B, est libertas, quam exercuit in instanti A; ergo ex eo, quòd homo simul cum gratia præsupponatur pro priori naturæ in instanti B, non sit immediatè liber ad durandum, vel non durandum simul cum gratia in instanti B, tota libertas ad durandum, vel non durandum in instanti B, desumitur ex libertate, quam exercuit in instanti A.

420. Modò sic. Libertas, quam homo exercuit in instanti A, ad se transferendum simul cum gratia ad instans B, vel est libertas constituta per gratiam, ut lis est, tanquam principium per se, vel constituta per auxilia inefficacia compossibilia cum exercitio bono, aut malo? Si secundum; ergo tota libertas ad cõservandam gratiam desumitur ex exercitio libero procedente à comprincipiis per se compossibilibus cum utroque libertatis extremo, modo, quo asseratur à Borull citat. num. 299. quod Adversarij negant, fatentes, quæstionem non agitari in hoc sensu; si primum ecce jam Adversarios, velint, nolint, coactos ad secundum modum tota disputatione præcedenti à nobis latè impugnatum, quod sic ostendo. Homo instructus gratiâ existens in instanti A, non potest liberè ponere actum charitatis præceptum in instanti B, quin ponat in instanti A, id, quod transferat gratiâ ad ponendum actum charitatis in instanti B; ergo, si teneatur sub gravi ad ponendum actû in instanti B, teneatur etiam sub gravi ad ponendum in instanti A, id, quod transferat gratiam ad instans B; sed exinde inferitur, non esse liberum in instanti A ad ponendum id, quod transferat gratiam in instanti B; ergo nullo modo erit liber ad ponendum actum charitatis in instanti B.

421. Minor, in qua poterat esse difficultas, probatur ex eo, quòd homo in instanti A teneatur sub gravi ponere simul cum gratia id, quod transferret gratiâ ad instans B, omisso illius est graviter peccaminosa; sed gratia non potest componi cum omissione graviter peccaminosa; ergo non potest componi cum illa omissione; ergo homo instructus gratiâ non potest liberè omittere in instanti A, id, quo transferat gratiam ad instans B; ergo est necessitatus ad ponendû id, quo transferat gratiam ad instans B: ac proinde neque in instanti antecedenti, neque in consequenti manet ulla libertas, vel mediata, vel immediata; unde omnia argumenta,

quæ supra efformavimus à n. 346. contra alterum modum defendendi influxum gratiæ, ut lis est, efformanda sunt contra istum modum novum.

Arguo 2. Voluntas in instanti A, instructa gratiâ, tanquam principio per se ad efficiendum actum charitatis præceptum in instanti B, neque est libera ad implendum præceptum in instanti A, neque in instanti B; ergo, si gratia, ut lis est, sit principium per se talis actûs, libertas perit. Prob. ant. licet homo instructus gratiâ in instanti A, non peccet in instanti A, potest nihilominus peccare in instanti B, aliter gratia collata in Baptismo esset inamissibilis, cum gratia collata in instanti A, non posset omitri in instanti B; atque habita in instanti B, non posset omitri in instanti C, & sic de reliquis, quod est hæreticum; ergo, licet voluntas instructa gratiâ in instanti A, se liberè exerceat nolens peccare, & volens omittere, potest in instanti B se liberè exercere volens peccare, & nolens omittere; ergo, si gratia esset principium per se actûs charitatis præcepti in instanti B, voluntas instructa gratiâ in instanti A, non esset libera ad adimplendum actum præceptum per libertatem, quam possit exercere in instanti A, atqui neque esset liber ad implendum præceptum per libertatem, quam exercere potest in instanti B; ergo &c.

Minor subsumpta probatur. Voluntas in instanti B pro priori ad suum exercitium liberum, sive independentem ab actu, sive omissione, vel haber gratiam, vel non? Si secundum; ergo non potest efficere actum, cum deficiat gratia illi, quæ est principium per se requisitum ad efficiendum actum; si primum; ergo nequit omittere, & consequenter non est libera ad implendum præceptum. Probat. conseq. quia gratia est essentialiter incompossibilis cum omissione; ergo, si voluntas pro priori ad suum liberum exercitium, sive independentem ab actu saltem, & omissione gratiam haber, non potest liberè adimplere actum præceptum, sed manet necessitata ad ponendum actum præceptum. Confirmat. Voluntas in eo instanti B non potest pro libito suo amittere gratiam cum actu connexam; ergo est necessitata ad ponendum actum; consequentia tener, & antecedens probatur, quia non potest amittere gratiam per omissionem, cum habeat illam independentem ab omissione, neque per actum, quia habet illam independentem ab actu; ergo in eo instanti B nullo modo potest pro libito suo amittere gratiam connexam cum actu.

Arguo tertio: præsuppositâ semel gratiâ in instanti B, pro signo priori, tanquam principium per se requisitum ad efficiendum actum præceptum, non potest deficere in toto eo instanti; implicat enim essentialiter, quòd aliquid existat in instanti B, pro signo priori, & quòd non existat in toto instanti, cum instans non

non sit divisibile, neque compositum ex partibus, sed indivisibile omnino; solum quidem datur in eodem indivisibili instanti signum prius, & posterius, prout in eodem indivisibili instanti datur causa, quæ dicitur signum prius, & effectus, qui dicitur signum posterius; non verò prout datur in eo instanti aliqua pars, cui correspondeat causa, & non effectus, aut e contra, talis enim partium divisio in instanti indivisibili, impossibilis omnino est; sic Pater æternus dicitur esse in signo priori originis, & Filius in signo posteriori; non quia in eadem æternitate indivisibili detur aliqua pars, cui correspondeat Pater, & non Filius, aut e contra; hoc enim dicere, esset hæreticum; sed quia in ea æternitate indivisibili Filius procedit ex Patre, ideoque signum Filii est signum posterius; Pater autem producit Filium, ideoque signum Patris dicitur signum prius.

445. Modò sic. Voluntas in instanti B, ut possit elicere actum præceptum, requiritur, quòd independentèr à suo libero exercitio, sive quòd independentèr ab actu, atque ejus libera omissione habeat gratiam per se requisitam ad efficiendum liberè actum; ergo non potest liberè omittere. Probat. conseq. ex eo, quòd voluntas in instanti B independentèr ab actu, & omissione habeat gratiam, habebit gratiam independentèr ab actu, & omissione in toto eo instanti; atqui ex eo, quòd habeat gratiam in toto eo instanti independentèr ab actu, & omissione, non potest in toto eo instanti liberè omittere, cum gratia sit impossibilis cum omissione; ergo &c. Neque dicas, gratiam pendere in eo instanti à libero voluntatis, quia voluntas poterat illam expellere omitrendò liberè; non inquam, dicas, quia voluntas, ut possit liberè omittere, requirit, quòd possit non omittere; sive facere actum, sed, ut possit facere actum, requirit gratiam; ergo, ut possit non omittere, requirit gratiam; atqui posità gratià, & quidem independentèr ab omissione liberè, ut diximus, non potest in toto eo instanti expelli per omissionè liberam, ut ex tota disputatione præcedenti latè constar; ergo &c.

446. Quapropter defensores Esparzæ aliter respondent huic argumento. Respondet primò quidam ingeniosus Recentior, gratiam in instanti B, in quo urget præceptum, non posse præsupponi pro priori signo ad actum gratiæ in re, sed jure; quia, si daretur gratia in re pro priori signo independentèr ab actu, & omissione, esset pro toto instanti, sicque non posset voluntas per liberum exercitium suum expellere gratiam, ac proinde neque liberè omittere; hoc autem, ait, non militat in gratia præsupposita solum in jure, quia gratia in jure nihil est aliud, quàm omnipotentia, auxilia, & decretum Dei de non destruenda gratia, si non detur ommissio, cum autem totum hoc componi possit cum actu, & omissione, gratia præsupposita pro priori signo solum in jure compossibilis est cum actu, & omissione,

R. P. Germaz Theolog. Tom. I.

sed gratia in re conæxa est essentialiter cum actu.

Contra primò. Licet in priori signo præsupponatur omnipotentia, auxilia, & decretum, per se non præsupponuntur adhuc omnia principia prærequisita ad efficiendum actum præceptum, sed omnia principia prærequisita ad efficiendum actum præceptum essentialiter prærequiruntur ad libertatem immediatam, vel saltem debent dari independentèr ab exercitio libertatis immediatæ; ergo, quando præsupponitur gratia solum in jure, non adhuc præsupponuntur, neque dantur independentèr ab exercitio libero voluntatis omnia principia per se requisita ad libertatem; hoc autem ex eo provenit, quia non præsupponitur, vel quia non datur independentèr ab exercitio voluntatis gratia in re, sin autem assignet Adversarius aliam rationem; ergo, ut dentur omnia principia per se requisita ad libertatem immediatam, debet præsupponi, vel saltem debet dari independentèr ab exercitio libertatis gratia in re; atqui posità gratià in re independentèr ab exercitio libero voluntatis est impossibilis ommissio; ergo, quando dantur omnia principia per se requisita ad voluntatis libertatem immediatam, est impossibilis ommissio; sed quando independentèr ab exercitio libero voluntatis est impossibilis ommissio, voluntas non est libera ad omissionem; ergo &c.

Contra 2. Ex eo, quòd physica præmotio prærequiratur ad efficiendum actum charitatis, licet Deus habeat decretum non auferendi physicam præmotionem, nisi voluntas omitteret actum charitatis, physica præmotio adhuc tolleretur libertatem; ergo pariter gratia. Respondebis falsò supponi, esse possibile tale decretum, quia posità physica præmotione non posset voluntas omittere, cum præmotio sit essentialiter impossibilis cum omissione, ac proinde neque Deus posset habere decretum non auferendi præmotionem, nisi voluntas omitteret. Bene; ergo etiam repugnat decretum non auferendi gratiam prærequisitam ad efficiendum actum præceptum charitatis, nisi voluntas omitteret. Probatur consequentia quia non minùs gratia essentialiter impossibilis est cum omissione prohibita, quàm præmotio; ergo, sicut propter impossibilitatè præmotionis cum omissione repugnat tale decretum circa præmotionem, ita etiam repugnat, ob eandè impossibilitatè proportionalitèr tale decretum circa gratiam; vel e contra, si non repugnat circa gratiam, neque repugnabit circa præmotionem. Tum etiam ex eo, quòd præmotio in re prærequiratur, non sufficit, quòd præsupponatur præmotio in jure, sed debet præsupponi præmotio in re; ergo ex eo, quòd gratia in re prærequiratur per se, non solum debet præsupponi gratia in jure, sed in re.

Respondent alij 2. in instanti B, in quo urget præceptum, debet præsupponi pro si-

H h h

gno

427

428

429

gnō priori gratia in re, cūm gratia sit principium per se actūs praecepti, vetuntamen non ideo tolli libertatem, quia gratia in re non praesupponitur conservata; sed conservabilis, sicut in instanti A, in quo Petrus ponit se in loco B, transiens ex loco A, est liber ad non se collocandum in loco B, quia, licet Petrus in re praesupponatur pro signo priori, non praesupponitur ut ubicatus, sed ut ubicabilis. Contrā tamen primò. Petrus praesuppositus pro signo priori in loco B, non est liber ad praesentiam in loco B, sed solum quatenus in loco antecedenti A, liberè produxit impulsū, quo se transtulit ad locum B; ergo voluntas prout praesupposita simul cum gratia in instanti B, non est libera in instanti B, sed ad summum erit libera, si liberè ponat aliquid in instanti A, quo transferat gratiā ad instans B. Hæc autem libertas, vel non sit juxta sensum, in quo controversia exagitur, vel si talis intenditur ab Adversariis, impossibilis est, ut constat à n. 420. ergo &c.

Contrā secundò. Si Petrus praesupponeretur pro priori signo in loco, vel si voluntas praeventa gratiā praesupponeretur pro priori signo in instanti B, neque Petrus posset non esse praesens in loco B, etsi per praesentiam naturā posteriorem; neque voluntas praeventa gratiā posset non durare in instanti B, etsi per durationem naturā posteriorem; ergo nec Petrus est liber ad se ubicandum in loco B, neque voluntas praeventa gratiā est libera ad durandum in instanti B per libertatem; quæ immediate exercentur in instanti B, sed per libertatem immediatam, quæ exerceretur, in loco, & instanti A; hanc autem libertatem, ut lis est, non potest habere voluntas instructa gratiā, ut constat ex dictis. ergo &c. Prob. ant. non potest Petrus praesupponi pro signo priori in instanti B, quin in eo instanti sit indistans à loco B, neque voluntas praeventa gratiā potest praesupponi pro signo priori in instanti B, quin in eo instanti sit correspondens instanti B, sed Petrus esse indistantem à loco B, est esse praesentem in loco B, & voluntatem praeventam gratiā correspondere instanti B, & durare in instanti B; ergo &c.

430. Contrā tertio. Non potest praemotio praesupponi pro signo priori in instanti B, quin duret in instanti B; ergo pariter gratia. Contrā quarto. Non potest lux (ut Adversariorum exemplo utar) praesupponi pro signo priori durabilis in instanti B, quin duret in instanti B; ergo pariter gratia. Prob. ant. lucem praesupponi durabilem pro signo priori in instanti B, est lucem praesupponi cum virtute ad producendum suum effectum in instanti B; sed non potest lux ita praesupponi, quin duret in instanti B; ergo &c. Prob. maj. non potest lux praesupponi pro signo priori in instanti B cum virtute ad producendum suum effectum, quin cum sua virtute respondeat instanti B, aliter, quin respondeat instanti B, posset producere in eo instanti, atque lux extincta pos-

set illuminare, & physica praemotio expulsa posset voluntatem impellere, canisque mortuus posset mordere, & latrare, atque lucem correspondere instanti B, est durare in instanti B; ergo &c. Omitto alia, quæ facile inferuntur ex dictis.

SECTIO II.

Impugnatur ulterius eadem sententia.

Arguo 1. Libertas, quæ existit in instanti A, perinde se habet respectu instantis B, ac si non fuisset, dummodo non ponat liberè in instanti A, aliquid, ex quo sequatur operatio mediata libera in instanti B; sic lux quæ praecessit in instanti A, cūm non relinquat aliquid, quo juvetur potentia visiva ad videndum in instanti B, perinde se habet, ut potentia visiva videat in instanti B, ac si nunquam existisset ea lux; atque per vos voluntas instructa gratiā in instanti A, non ponit aliquid liberè in eo instanti, ex quo sequatur operatio mediata libera in instanti B; ergo libertas illa in instanti A, respectu instantis B, perinde se habet, ac si non existisset; atque per vos, si non existisset in instanti A, voluntas praeventa gratiā non esset libera in instanti B, quamvis libertas illa praecessisset in instanti A; ergo &c.

Respondet Recentior supra laudatus, duplicem esse considerandam libertatem in instanti A, alia, inquit, est libertas ad faciendum, vel non faciendum actum pro illo instanti, & hæc ad instans B perinde se habet, ac si non fuisset, ut suadet exemplum lucis; alia verò est libertas in instanti A, ratione cuius potest voluntas gratiam conservare & transmittere ad instans B per positionem actūs praecepti in illo, & hæc libertas, ut patet, omnino conducit, ut voluntas liberè efficiat actum praeceptum in instanti B, hæc ille. Ceterum non possum non mirari solutionem, verba enim ista iterum, iterumque perlegi attentè, solutionem quaerens, & non inveni. Nam transmissio libera, qua gratia transferretur ab instanti A, ad instans B, vel exerceretur in instanti A, vel in B; non primum, quia, si ea transmissio exerceretur in instanti A, voluntas, quæ teneretur ad transferendam gratiam, ut adimpleat praeceptum, in B, teneretur in instanti A elicere eam transmissionem, ac proinde illius omisio esset peccaminosa; sed ex eo esset impossibilis cum gratia praesupposita, ut principium per se; ergo non posset voluntas instructa gratiā, tanquam principium per se, omittere liberè eam transmissionem in instanti A; non secundum, quia in instanti B, omisio etiam esset peccaminosa, & cum gratia essentialiter impossibilis; ergo &c. Unde, si non fiat saltus extra chorum, & quaestio exagitetur, ut lis est, nulla assignatur solutio.

433. Arguo 2. Gratia, ut causans actum præceptum in B, exigit essentialiter in illo signo priori existere in instanti B, etiam per durationem advenientem in signo posteriori, repugnat enim essentialiter, quod causa non existat in eo instanti, in quo physicè operatur, dum voluntas nullam habet libertatem ad faciendum, quod gratia non præsupponatur pro illo signo priori; ergo gratia necessariò existens in illo signo priori, necessariò existit in instanti B, ac proinde in B, necessariò existet actus, & excludetur omisio essentialiter impossibilis cum gratia, sicque nulla manebit libertas ad omittendum. consequentia est legitima. Secunda verò antecedentis pars, in qua poterat esse difficultas, probatur, si voluntas esset libera, quod gratia non præsupponeretur pro illo signo priori, vel esset libera se liberè exercendò in instanti A, vel se liberè exercendò in illo signo priori instantis A, in instanti B, sed nullo modo; ergo &c.

434. Prob. min. quoad primam partem: si libertas ad amittendam gratiam esset libertas, quæ exerceretur in instanti A, voluntas in instanti A teneretur ad ponendum illud exercitium, ne in instanti B amitteretur gratia per se requisita ad actum præceptum; ergo omisio illius exercitij esset peccaminosa, ac proinde, si gratia, ut lis est, esset principium per se illius exercitij, non posset voluntas omittere, cum omisio illius exercitij sit essentialiter impossibilis cum gratia; ergo non esset libera ad omittendum, ac proinde neque ad amittendam gratiam. Probatur jam secunda pars: si libertas ad amittendam gratiam esset libertas, quæ exerceretur in illo signo priori instantis A, in instanti B, esset libertas ad amittendam gratiam per actum, vel per omissionem libertatem. Atqui non per actum, cum actus potius conducatur ad conservationem, quam ad omissionem gratiæ; neque per omissionem, quia, ut voluntas liberè possit omittere, requirit, quod possit non omittere, sive, quod idem est, facere actum; atqui, ut possit facere actum in eo signo priori, vel in instanti B, actum prærequiritur gratia impossibilis cum omissione; ergo neque in illo signo priori, neque in B, potest liberè omittere, ac proinde neque potest liberè amittere gratiam per omissionem.

435. Responder idem Recentior: Gratiam causantem actum præceptum, solum dicere præexistisse in B, pro signo autem causalitatis dicit, non habere existentiam de præsentis, neque in A, neque in B; sicut Angelus produciens durationem suam B, pro signo priori ad durationem neque durat in A, neque in B, similiter, quando producit suam præsentiam in B, pro signo priori ad productionem neque est præsens in A, neque in B, eodem modo, ait, contigit in gratia, quæ dum producit actum præceptum pro instanti B; in illo signo priori ad productionem neque durat in A, neque in

B; unde manet locus, ut gratia liberè duret in B, si liberè producat actus præceptus, vel ut destruat in B, si liberè omittatur actus pro illo instanti præceptus.

436. Contrà tamen primò. Licet gratia ut causans actum præceptum non diceret pro illo signo priori durare in A, neque in B, atamen pro illo signo priori diceret essentialiter exigentiam ad durandum in B, pro signo sequenti; sic Pater æternus, licet pro signo priori ad Filium non dicat coexistere Filio, atamen pro eo signo dicit essentialiter exigentiam ad coexistendum Filio pro signo sequenti; sic etiam Angelus, licet pro signo priori ad durationem B à se productam non dicat durare in B, atamen pro illo signo priori dicit exigentiam ad durandum in B pro signo sequenti, aliter inexplicabile esset, quomodo daretur in eo signo priori gratia expedita ad causandum, si signum prius includeret non existentiam de præsentis, neque secum haberet durationem requisitam, ut effectus in eo instanti proveniat à causa; ergo gratia præsupposita in illo signo priori dicit essentialiter durare in signo sequenti; ergo dicit essentialiter in signo sequenti exclusionem omissionis in eo signo impossibilis metaphysicè cum gratia, ac proinde voluntas in eo signo priori instructa gratiâ non manet libera ad omissionem, sed essentialiter potiùs necessitata ad actum.

437. Contrà secundò. Signum illud prius, sive signum causalitatis, non est aliquid reale intermedium, inter instantia A, & B, utpote essentialiter, & immediatè successiva, sed solum significat, quod duratio B provenit ab entitate illius productiva, & non e contra; si enim entitas productiva nullo modo conduceret ad causandam durationem B, nullo modo esset in signo priori ad instans B. Modò sic. Voluntas in nostro casu instructa gratiâ in A, non potest efficere pro libito suo, quod gratia produciens actum præceptum in B, non duret in B; ergo non potest efficere pro libito suo, quod detur in B omisio actus præcepti cum gratia impossibilis. Probat. ant. Vel id efficeret ponendò omissionem libertatem in A, vel B, non primum, quia omisio in A non est prohibita, ac proinde non potest impedire gratiæ durationem in B; non secundum, quia, ut ponatur omisio immediatè libera in B, debet præcedere voluntas expedita, sive compotentia ad non omittendum in B, aliter non posset liberè omittere; atqui potentia ad non omittendum includit gratiam; ergo pro illo signo priori instantis B, debet præcedere voluntas cum gratia; sed positâ pro illo signo priori gratiâ exigit essentialiter durationem in B, estque cum omissione incomponibilis; ergo non potest voluntas per omissionem in B, impedire gratiam in B.

438. Contrà tertio. Actus liber est præceptus pro instanti B, ac proinde voluntas, ut faciat

faciat præcepto, debet ponere actum liberum in instanti *B*; ergo in ipso *B* pro signo priori ad actum liberum, siue independenter ab exercitio libero voluntatis debet præcedere voluntas, ut sit libera potens ponere, vel non ponere in eo instanti actum; atqui, ut possit ponere actum liberum, requiritur gratia, utpote principium per se actus illius; ergo in ipso *B* pro signo priori ad actum liberum, siue independenter ab exercitio libero voluntatis, debet præcedere voluntas instructa gratiâ; sed gratia est essentialiter impossibilis cum omissione illius actus; ergo in ipso *B* præsupponitur pro signo priori ad actum, siue independenter ab exercitio libero voluntatis aliquid impossibile essentialiter cum omissione illius actus; sed quando in *B* pro signo priori ad actum, siue independenter ab exercitio libero voluntatis præsupponitur aliquid impossibile essentialiter cum omissione actus, tollitur libertas, ut patet in præmotione.

439. *Contra* quartò. Si voluntas non extrahatur ab *A*, & ponatur in *B* pro signo priori ad actum, & omissionem, non potest influere liberè in actum, nec in cognitionem; ergo, si gratia non extrahatur ab *A*, & ponatur in *B* pro signo priori ad actum, & omissionem, non poterit voluntas liberè in actum influere, vel omissionem. Patet conseq. quia signum immediatè liberum actus, & omissionis est idem signum, in eodem enim signo immediatè libero, in quo ponitur actus, potuit non poni, sed omitti; atqui, si gratia non sit extracta ab instanti *A*, & ponatur in instanti *B* pro signo priori ad actum, non potest poni actus liber in *B*; ergo, si non sit extracta, & posita in signo priori ad omissionem, non poterit actus liberè omitti, ac proinde neque voluntas poterit liberè influere in actum, neque in omissionem. Hæc est ratio, propter quam, licet gratia non influat liberè in omissionem, debet esse pro signo priori ad omissionem; quia scilicet signum immediatè liberum omissionis, & actus sunt idem; ergo, si debet esse pro signo priori ad actum, debet esse pro signo priori ad omissionem. Primum antecedens etiam est certum; quia, si voluntas non extrahatur ex instanti *A*, & ponatur in *B* pro signo priori ad actum, & omissionem, non potest exercere dominium suæ libertatis in actum præceptum pro instanti *B*; aliter homo mortuus posset pro instanti subsequenti ad mortem peccare, aut moveri, & sic de alijs, quod est absurdum; ergo &c. Hinc

440. *Arguo* 3. Ut actus fiat in *B*, requiritur, ut gratia conservetur in *B*, pro signo priori ad actum, ex num. superiori, proindeque actus in *B* pender à gratia, ut conservata, estque posterior gratiâ, ut conservatâ; Rursus gratia conservata pender ab actu, & actus est prior illâ, cum Deus gratiam non conservet, nisi casu, quo non sit peccatum, tum quia non datur aliud non esse peccati, nisi actus; ergo actus est prior, & posterior gratiâ, ut conservatâ, & hæc

est prior & posterior actu. Confirmatur. Gratia, ut Adversarij fatentur, debet præsupponi pro aliquo signo priori ad instans *B*; ergo debet includere instans *A* solum secum habere instans *B*, aliter enim non præsupponeretur pro signo priori, sed in instanti priori modo, quo præsupponuntur res essentialiter successivæ; atqui ex eo quod gratia, modò, quo debet præsupponi ad actum, habeat solum instans *B*, sit exinde, quod modò, quo præsupponitur ad actum, est impossibilis cum omissione in *B*; ergo modò, quo præsupponitur ad actum, tollit libertatem ad omissionem, quod ipsum argumentum affirmat de omissione respectu conservationis gratiæ, ut satis constat ex dictis.

SECTIO III.

Summa doctrina nostræ, & solutio argumentorum.

AD 4. classes reducitur universa doctrina trium harum disputationum. Prima conclusio. Si gratia essentialiter impossibilis cum peccato sit principium per se actus charitatis, non potest liberè fieri à voluntate actus charitatis præceptum pro instanti determinato, adhuc ex directione scientiæ mediæ. Prob. facile ex dictis, præceptum illud, cum ex se deservire non possit, vel ad majorem laudabilitatem actus, si iste conformetur cum præcepto, vel ad majus vituperium, si cum ipso præcepto diformetur. Præceptum libertatem in actu primo atque comprincipia per se requisita ad libertatem reddit in compossibilia cum omissione; sed exinde corrui libertas indifferentiæ ad actum; vel omissionem; ergo &c.

Confirmatur. Præceptum, & prædefinitio in eo distinguuntur, quia prædefinitio respicit actum secundum; quæ de causa relinquit intactam hypothesein, nec affert actui majorem laudabilitatem, nec requiritur ex parte hypotheseis exclusio, sed præcisio à prædefinitione, sicuti non requiritur exclusio, sed præcisio ab actu, quæ est ratio, propter quam Deus nequit prædefinire actum sub comprincipijs prævisis ex parte hypotheseis indifferentis non conjungendis cum consensu, si conferantur. As præceptum respicit actum primum, assertive majorem laudabilitatem, si actus cum præcepto conferatur, aut vituperium, si diformetur; ideoque, si ratione illius hypotheseis non maneat indifferentia, libertas corrui, proindeque non sufficit ex parte hypotheseis præcisio, sed omnino requiritur exclusio talis præcepti; si autem hypotheseis cum præcepto maneat indifferentis, potest Deus actum præcipere sub illa, quamvis videat non conjungendum cum consensu, si illa ponatur; atqui in nostro casu hypotheseis ratione præcepti, non manet indifferentis, sed

connexa cum actu; ergo ex illa nequit procedere liberè actus, proindeque nequit esse hypothesis scientiæ mediæ.

443. Secunda conclusio. Gratia essentialiter incompossibilis cum præcepto, quæ seclusa directione scientiæ mediæ, sit principium per se actus præcepti pro instanti determinato, tam pugnat cum libertate, quam præmotio Thomistica. Probat ex dictis tota disp. X. quia præmotio Thomistica non habet aliam rationem est incompossibilis cum libertate, nisi quia est requisitum antecedens cum actu connexum incompossibile cum omissione, & inevitabile pro libito voluntatis; quandoquidem voluntas tunc solum habet duplex libitum, nimirum actus, & omissionis, actus autem non est exclusivus gratiæ, omisio verò dari nequit, si præsupponatur gratia; ergo &c.

444. Tertia conclusio. Mutato solum nomine, scilicet gratiæ in præmotionem physicam; defendere tenentur, non pugnare cum libertate præmotionem physicam, qui defendunt non pugnare influxum gratiæ, ut lis est. Probat. iisdem rationibus, quibus gratia quantumvis connexa cum actu præcepto, & incompossibilis cum omissione prohibita, dicitur evitabilis à voluntate, tenentur Adversarij dicere, præmotionem physicam, licet cum actu connexam, & incompossibilem cum omissione prohibita, esse evitabilem à voluntate; ergo &c. Probat. ant. Ideo ab Adversariis dicitur evitabilis gratia à voluntate, quia, si poneretur omnis actus, tolleretur gratia: atqui etiam si tolleretur actus, tolleretur præmotio ad actum; ergo &c. Confirmatur, & explicatur in sententia Thomistarum admittentium præmotionem ad actum, & non ad omissionem. Ideo enim ab Adversariis dicitur gratia evitabilis à voluntate, quia, cum non requiratur ad omissionem, dicitur posse tolli per omissionem; ergo ex eo, quòd præmotio Thomistica non requiratur ad omissionem, sed solum ad actum, tenentur Adversarij fateri, esse quoque à voluntate evitabilem per omissionem, neque ullam possunt Adversarij rationem reddere, quæ non faveat etiam præmotioni, ut ex dictis constat.

445. Quarta conclusio. Actus charitatis præceptus pro instanti determinato, ut liberè fiat, procedere debet à voluntate instructa principiis indifferentibus ad illum elicendum, vel omittendum. Probat. facile ex dictis nam in eo stat libertas indifferentiæ ad merendum, & demerendum requisita, quòd voluntas eliciens actum possit pro libito suo illum non elicere; atqui ut voluntas eliciens actum possit pro suo libito illum non elicere, requiritur, quòd habeat principia indifferentia ad illum elicendum, vel omittendum; ergo &c. Unde fit, Deum non posse præcipere actum im-

mediatè liberum procedentem à gratia, ut lis est, tanquam à principio per se. Ratio ex dictis est manifesta, quia nimirum talis actus immediatè liber procedens à gratia, ut lis est, tanquam à principio per se prorsus est impossibilis; sed Deus nequit præcipere impossibilem; ergo &c. Quapropter in eo casu, vel debebat constitui voluntas in actu primo per auxilia extrinseca in actu primo ad utrumque indifferentia, vel per omnipotentiam extrinsecè, & indifferenter applicatam locò aliorum comprincipiorum concurrentem, ut infra dicemus, hæc enim est in Schola nostra doctrina firmissima. Cæterum videamus argumenta, quæ impulere Adversarios ad admittendâ doctrinam tam arduam, & difficilem.

Objic. primò contra primam conclusionem: 446. ex directione scientiæ mediæ potest gratia influere tanquam principium per accidens in actum præceptum pro instanti determinato; ergo etiam poterit influere tanquam principium per se. Probat. conseq. Potest Deus prævidere per scientiam mediam, quando, si voluntati conferantur auxilia indifferentia ad actum, & omissionem prohibitam, voluntas potens omittere, non omitteret; sed poneret actum; ergo potest ex directione scientiæ mediæ dicere, quia video, quòd voluntas ponet actum, si illi conferantur ea auxilia indifferentia, nolo ei illa conferre, sed solum volo illi conferre gratiam, & auxilia intrinsecè efficaciam, quæ quidem non evertent libertatem, utpote à scientia mediâ dependentia; ergo, si ex directione scientiæ mediæ gratia posset esse principium per accidens illa à libertate, etiam poterit esse principium per se. Confirmat. Decretum illud, utpote à scientia mediâ dependens est evitabile, sed quòd est evitabile, non tollit libertatem, ut patet in scientia mediâ; ergo &c.

Respondeo conc. ant. & neg. conseq. Ad probationem conc. ant. & dist. primum consequens. Potest Deus id dicere dirigendò se ad tollendam libertatem, conc. ad servandam libertatem prævisam per scientiam mediam, nego consequentiam cum altera subsumpta. Ratio est, quia, ut Deus dirigatur à scientia mediâ servans libertatem per scientiam mediam prævisam, requiritur, quòd conferat principia per se, modò, quo prævisa fuerant per scientiam mediam cum utroque extremo impossibilia; quòd non ita faceret, si conferret principia per se cum utroque extremo impossibilia, quæ nec prævisa fuerunt, nec prævideri poterant ex parte hypothesis scientiæ mediæ. Quamobrem argumentum manifestam continet implicantiam, atque doctrinam à schola scientiæ mediæ prorsus alienam, dum vocat principium per se constitutivum libertatis ea, quæ à scientia mediâ dependent: principia namque per se constitutiva libertatis se habent ex parte hypothesis scientiæ mediæ, & quæ ex parte hypothesis se habent, non

dependent à scientia media; sed præcedunt scientiam mediam.

448. Principia enim pendentia à scientia media prout conducentia ad conservandam libertatem, sunt illa, quæ non possunt poni, vel saltem non ponuntur in statu absoluto, quin ponantur principia per se ex parte hypothetis scientiæ mediæ prævia cum sua actione, quæ actus producit, quæ proinde scientiam mediam præcedit. Quapropter, quando gratia confertur ex directione scientiæ mediæ tanquam principium per accidens non influit in effectum eadem actione, qua influnt principia per se, sed actione distincta præsupponente principia per se, eorundemque actionem, ita, ut si gratia, ejusque actio tolleretur, maneret adhuc actus in statu absoluto procedens à principijs per se, eorundemque actione, modò, quo prævisus est in statu conditionato; eo enim modo optimè dirigitur Deus ex scientia media ad conservandam illam libertatem, utpote dicens; quia per scientiam mediam prævidi, quòd, si conferrem tibi in statu absoluto principia hæc per se ad utrumque indifferentia, liberè poneres actum, ut liberè ponas actum, volo tibi ea conferre; in casu autem argumenti Deus non ita dirigitur ad conferenda principia per se per scientiam mediam prævisa, sed ad ea non conferenda, ac proinde non dirigitur ad conferendam libertatem, sed ad libertatem evertendam.

449. Sic eveniret casu, quo Deus diceret; quia per scientiam mediam prævidi, quòd, si conferam tibi principia indifferentia, liberè elices actum, nolo ea tibi conferre, sed volo te necessitare ad actum; illud enim decretum, quantumvis à scientia media dependens libertatem everteret, eo vel maxime, quòd non penderet à scientia media tanquam dirigente ad conferendam libertatem prævisam, sed tanquam conducente ad eam impediendam. Pariter, si Deus diceret, quia per scientiam mediam prævidi, quòd, si conferrem tibi auxilia indifferentia cum carentia decreti per se requisiti ad actum determinatum, & per decretum indifferens per se requisitum liberè elices actum, nolo tibi ea conferre per decretum indifferens per se requisitum, sed per decretum ad actum determinatum; sanè decretum illud libertatem everteret, & si à scientia media dependens; quia non penderet à scientia media tanquam dirigente ad conferendam, sed tanquam conducente ad evertendam libertatem; vide circa hæc latius in Tractatu de Deo n. 913.

450. Ad Confirmationem dist. maj. est evitabile à voluntate nudè sumpta vel alligata ad unum libertatis extremum, nego, à voluntate instructa comprincipijs ad utrumque expeditis, conc. maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia illud decretum ab actu libero conditionato dependens solum est evitabile per evitabilitatem liberam actus, illa autem evitabilitas libera non

stat in voluntate nudè sumpta, aut ad unum determinata libertatis extremum, sed stat in complexo ex voluntate, & comprincipijs indifferentibus ad utrumque expeditis, proindeque, si ea comprincipia negentur, negatur quoque evitabilitas, de qua loquimur; si vero ea conferantur, datur quoque evitabilitas, ac in eo casu manet voluntas potens non quidem frustrare, sed vitare decretum, quod ab actu libero voluntatis dependet, quin actus liber ab ipso pendeat, sed à comprincipijs per se requisitis, quæ ad utrumque sunt indifferentia, ut constat ex dictis. Vide in Tractatu de Deo à n. 890. unde, sicut non est idem, voluntatem esse liberam, ac fore liberam, si haberet indifferentiam ad utrumque; ita non est idem, decretum esse evitabile à voluntate, ac fore evitabile, si voluntas haberet indifferentiam ad utrumque.

Objic. 2. contra triplicem ultimam conclusionem: incredibile est, principia supernaturalia, qualia sunt habitus gratiæ, & charitatis (idem suò modò de alijs virtutibus inferioribus) quarum munus est elevare voluntatem ad actus supernaturales liberos eliciendos, tunc huic muneri subtrahere, quando hujusmodi actus sunt urgente magis præcepto eos faciendi; ergo tunc influnt in actus præceptos salva libertate. Respondeo negandò ant. oppositum quippe est incredibile, ut patet ex nostris argumentis; ex quibus negari quoque potest suppositum antecedentis, nimirum habitum gratiæ, & charitatis subtrahere se à tali munere, nam, ut habitus subtrahatur à munere producendi, necesse est, quòd habeat tale munus, gratia autem, aut habitus charitatis, ut lis est, nunquam habuerunt, neque habere possunt manus liberè producendi actum præceptum pro instanti determinato; ac proinde neque possunt se à tali munere subtrahere.

Objic. 3. Non continent minorem difficultatem prædefinitiones divinæ antecedentes, sive independentes à scientia media, & intrinsecè efficaces, quàm contineat influxus gratiæ, ut lis est, ad salvandam creaturæ libertatem. Sed illæ prædefinitiones non pugnant cum libertate; ergo neque influxus gratiæ, ut lis est. Respond. omitto maj. & nego minorem; quia tales prædefinitiones impossibiles sunt respectu actus liberi prædeterminati; evertent enim omnino libertatem, ut diximus in Tractatu de Deo à n. 864. Quinimò influxus gratiæ, ut lis est, non solum continet differentiam illarum prædefinitionum, veram etiam multò majorem, eò quòd gratia esset principium physicè influens, prædefinitiones autem illæ non quidem ut principia per se physica; sed ut principia moralia concurrerent; quæ duo comprincipia cum gratia valde diversa sunt. Qua de causa ad majorem dixi omitto.

Objic. 4. Deus potest præcipere actum condignè meritorium, ad cuius condignificationem est necessaria gratia incompossibilis cum omilto.

omissione actus liberi praecepti; ergo etiam potest praecipere actum liberum, in quem gratia illa, ut principium per se influat physice. Respondeo conc. ant. & nego conseq. quia in instanti, in quo debet influere gratia tanquam principium per se in actum praeceptum, debet praesupponi independentem à libito voluntatis pro signo priori ad actum, quae praecedentia cum omissione quidem impossibilis necessitaret ad actum, proindeque non posset producere liberè actum; at verò gratia, ut condignificet actum in eo instanti, non debet praecedere pro signo priori ad actum, & omissionem, sed sat est, quòd in signo antecedenti extiterit, & in signo subsequenti conservetur dependenter ab actu elicito, medijs comprincipijs indifferentibus, ut actum illum reddat condignè meritorium.

454. Explicatur exemplò, casu, quo Rex promitteret Petro, qui est Comes, constituere illum Ducem, si debellaret hostem Reipub. aut privare illum Comitatu, si triumphum de hoste non reportaret; eo quippe in casu pro eo instanti, in quo Petrus esset liber ad debellandum, vel non debellandum hostem in ipso signo priori ad actum, vel illius omissionem non habebat Ducatum, aut Comitatum, neque horum carentiam, sed praecisionem ab utroque, posita autem pro signo sequenti victoria de hoste reportata, Comitatus, quo instructus erat in instanti antecedenti, dignificaret actionem instantis sequentis, ut esset condigna Ducatus vel eò maximè, quòd posita ea regia promissione praecessit jam in instanti antecedenti dignitas Comitatus ad dignificationem illius actionis in instanti sequenti elicita requisita, quae per pravum opus non fuit in instanti sequenti amissa; quapropter ad actum dignificandum non requiritur, quòd forma praecedat in instanti dignificationis pro signo priori ad actum dignificandum, sed sat est, si modo explicato subsequatur, ut actum dignificet. Unde, cum hoc eveniat in nostro casu, dignificatio à gratia desumpta nequaquam officit libertati, quòd clarius explicatur. Si Rex promittat constituere Comitem Civem illum, qui reportaret victoriam, aut constituere Ducem, si jam esset Comes.

455. Objic. 5. Homo justus est liber ad peccandum; atqui habet gratiam impossibilem cum peccato; ergo etiam erit liber ad actum praeceptum, licet habeat gratiam impossibilem cum omissione actus. Resp. conc. maj. & dist. min. habet gratiam pro signo posteriori requisitam ad condignificandum actum suum liberum, conc. requisitam per se in signo priori, nego min. & consequentiam. Ratio est, quia, quando homo in instanti A habet gratiam impossibilem cum peccato, & postea in B est liber ad peccandum, sicuti pro illo signo priori, in quo est liber ad peccandum, neque datur actus peccaminosus, neque illius

omissio, sed indifferentia ad peccatum, vel carentia peccati, ita pro illo signo priori non datur conservatio, neque destructio gratiae, sed indifferentia, ut Deus conserve gratiam pro posteriori, si adsit carentia peccati; vel ut non conserve, sed destruat pro signo posteriori ad peccatum, si peccatum ponatur, proinde, cum libertatem non impediatur illud, quòd subsequitur exercitium liberum voluntatis, gratia in homine justo impedire nequit libertatem, at verò, si esset principium per se actus praecepti, non quidem subsequeretur, sed antecederet exercitium liberum voluntatis, cum aliunde esset connexa cum actu, & impossibilis cum omissione, impediret exinde libertatem ex dictis

Fit 1. Gratiae conservationem esse posteriorem actu-praecepto pro instanti determinato; est enim terminus cui ut praeviso, & ex se meritorio praefixit Deus pro libito suo gratiae conservationem; etenim si actui naturali, qui non est dispositio congrua ad gratiam, potest Deus pro libito suo praefigere tanquam termino praeviso conservationem gratiae, quòd magis poterit illum praefigere pro libito suo actui supernaturali, qui est congrua, & praevia dispositio ad gratiam. Fit 2. Casu, quo Deus praeciperet actum pro aliquo instanti in determinato, quòd tunc gratia posset influere in actum pro illis instantibus, in quibus ommissio non est peccaminosa; in ultimo verò illorum instantium, in quo ommissio esset peccaminosa, non potest gratia influere tanquam principium per se salva libertate, tunc enim actus, ut liberè fieret, deberet procedere ab auxilio indifferenti, sive intrinseco, sive extrinseco compossibili cum actu, ejusque omissione, ex dictis n. 497.

Quapropter, si Deus praeciperet, quòd actus fieret intra decem v. g. instantia, simulque decerneret, non conferre principia per se sufficientia ad producendum actum, nisi constituendò actum primum proximum per gratiam tanquam per principium per se, neque veller applicare omnipotentiam, nisi ad illum actum, ejusque omissionem, voluntas non haberet libertatem quoad substantiam actus praecepti: nam licet omitteret actum intra novem instantia, non posset illum in decimo instanti ommittere; quandoquidem ommissio tunc jam esset peccaminosa, atque impossibilem cum gratia ex parte actus primi, proindeque voluntas in eo casu solum esset libera quoad circumstantias, quatenus ex primo usque ad nonum instans posset actum facere, vel ommittere, neque verò de libertate mediata, quatenus Deus poterat relinquere conservationem gratiae sub libito voluntatis v. g. si voluntas non committeret aliud peccatum in alia materia, ad quam esset instructa comprincipijs indifferentibus compossilibus, tam cum peccato, quam cum ejus omissione, nam, ut supra diximus, & Ad-

versae

versarij fatentur, difficultas non procedit in hoc sensu, sed in illo, de quo hucusque disputavimus.

SECTIO IV.

An voluntas in instanti, in quo operatur liberè, sit libera ad non operandum?

438. **P**rima sententia negat. Ita Magister Sententiarum, Ochamus, Gabriel, alijque nominales, quos citant, & impugnant Exim. Doctor disp. 19. Metaph. sect. 9. Bellarminus l. 3. de gratia & lib. arbit. cap. 3. atque communiter omnes Theologi. Docebat enim hæc prima sententia, voluntatem in instanti, in quo operatur, non esse liberam ad non operandum, sed in instanti antecedenti ad operandum fuisse liberam, ut pro instanti sequenti operaretur, vel non operaretur. Exinde inferebant, Angelos in primò suæ creationis instanti non fuisse liberos ad peccandum, eò quòd ante primum instans non præcesserit aliud instans, in quo essent liberi ad peccandum pro instanti sequenti; videatur Eximius Doctor disp. 7. de Ang. cap. 20. Secunda sententia ferè omnium Theologorum affirmat; Vide Authores hujus sententiæ apud Vasquez 1. parte disp. 236. n. 12.

439. **A**ffero cum secunda sententia: in instanti, in quo voluntas liberè operatur, est libera ad non operandum. Prob. 1. in instanti, in quo liberè voluntas operatur, est causa libera inducens suum effectum liberè; sed causa libera, quæ liberè inducit suum effectum, potest illum liberè non inducere, & non operari; ergo voluntas in instanti, in quo liberè operatur, potest liberè non operari. Confirmatur. Causa est pro priori signo ad effectum, proindeque causa libera est pro priori signo cum principijs conjungibilibus tam cum effectu, quam cum omissione effectus, ut latè constat ex dictis; ergo sicut se conjungit pro suo libito cum effectu ponendò actum, ita poterat pro libito suo in eo instanti non se conjungere cum effectu, & non ponere actum; sed in hoc stat, quòd in instanti, in quo liberè operatur, sit libera ad non operandum; ergo voluntas in instanti, in quo liberè operatur, est libera ad non operandum.

460. **R**espondebis, voluntatem in instanti, in quo operatur, non esse liberam ad non operandum; nam in eodem instanti non potest conjungi cum omissione actus; quandoquidem datur in eo instanti actus, qui exclusivus est suæ omissionis. **C**ontrà tamen primò. In instanti, in quo voluntas liberè operatur actum, datur liberè actus; ergo poterat in eo instanti non dari actus pro libito voluntatis, sed, si non daretur actus, conjungeretur cum omissione; ergo in instanti, in quo voluntas liberè operatur, poterat conjungi cum omissione pro

suo libito: **C**ontrà secundò. In eo instanti datur liberè actus, quia voluntas potens non apponere actum, ponit pro suo libito; ergo si in eo instanti nolisset actum ponere, non potuisset actum; sed quando voluntas ponit actum, potens actum non ponere, ita operatur, ut sit libera ad non operandum; ergo voluntas in instanti, in quo liberè operatur, est libera ad liberè operandum.

Contrà tertio. Licet actus in instanti, in quo datur, sit impossibilis cum ipsius omissione, voluntas, quæ liberè ponit actum, non est impossibilis, sed possibilis tam cum actu, quam cum illius omissione; ergo, sicut voluntas in eo instanti pro suo libito ponit actum impossibilem cum omissione, ita potest ponere omissionem impossibilem cum actu; sed dum voluntas in eo instanti, in quo operatur, ita ponit actum impossibilem cum omissione, ut potest non operari illum actum, sed potius ponere omissionem impossibilem cum illo actu, ita operatur, ut sit libera ad non operandum; ergo voluntas in instanti, in quo liberè operatur, ita operatur, ut sit libera ad non operandum.

Probat. 2. conclusio. Quando voluntas in instanti A v. g. habet omnia principia indifferencia ad operandum, vel non operandum, sive operetur, sive non operetur, legitime infertur in eo instanti, in quo liberè operatur, ita liberè operari, ut possit non operari; ergo &c. **P**robat. antec. Si in eo instanti voluntas non operatur, omisso operationis est libera voluntati, cum omittat in instanti, in quo potuisset non omittere, & ponere actum; si operetur, operatio est libera, cum ponat operationem potens in eo instanti eam non ponere; atqui, quando voluntas in instanti, in quo omittit, poterat non omittere, & in instanti, in quo operatur, poterat non operari, ita liberè operatur in eo instanti, ut sit libera ad non operandum; ergo &c.

Probat. 3. Deus ab æterno habuit voluntatem liberam, qua liberè voluit producere mundum in tempore, & ab æterno potuit habere volitionem, qua nollet in tempore mundum producere; aliter non produxisset liberè mundum; ergo etiam voluntas in instanti, in quo liberè elicit volitionem, potuisset illam non elicere, aliter non eliciuisset liberè; sed elicere volitionem in instanti, in quo potuisset illam non elicere, est ita liberè operari, ut sit libera ad non operandum; ergo. **C**onfirmat. 1. Ideo Deus elicit liberè volitionem ab æterno, potens ab æterno illam non elicere; quia, licet volitio sit impossibilis ab æterno cum omissione volitionis ab æterno; ac potentia libera Dei indifferens erat, ut potuisset se ab æterno conjungere cum nolitione, sicut se conjunxit cum volitione, sed etiam volitio creata, quamvis sit impossibilis cum omissione volitionis, non impedit, ne voluntas in instanti, in quo liberè operatur sit indifferens.

& impossibilis, tam cum volitione, quam cum omissione; ergo &c. Confirmat. 2. Licet volitio, & volitio sint impossibiles in eodem instanti; at potentia ad volitionem non est impossibilis in eo instanti cum potentia ad volitionem, sed in eo stat, quod voluntas in instanti, in quo liberè operatur, sit libera ad non operandum; ergo &c.

464. Probat. 4. Christus Dominus, ut docetur in Tractat. de Incarnat. elicit in primo instanti existentiae suae actum meritorium charitatis, obedientiae, aliarumque virtutum; sed talis actus non potuisset esse meritorius, nisi esset liber; ergo fuit liber. Modò sic: in primo instanti existentiae Christi fuit impossibilis actus meritorius cum ejus omissione; sed hoc non obstante, ex eo, quod voluntas Christi fuit libera tam cum actu, quam cum omissione, elicit actum potens in eo instanti actum non elicere; ergo ex eo, quod voluntas, quando liberè operatur actum, habeat in eodem instanti comprincipia indifferentia composibilia tam cum actu, quam cum omissione; ita elicit in eo instanti cum illis comprincipiis actum, ut possit in eo instanti cum illis actum non elicere, sed potius omittere; atqui in eo stat, quod voluntas ita liberè operetur actum, ut in eodem instanti sit libera ad non operandum; ergo &c.

465. Respondebis, Christum Dominum in primo existentiae suae instanti elicuisse liberè actum, non quidem, quia in eodem instanti fuit liber ad non eliciendum; sed quia in eo instanti fuit liber ad cessandum, vel non cessandum ab operatione in instanti sequenti. Contra tamen 1. Potentia libera ad cessandum, vel non cessandum ab actu pro instanti sequenti, non est potentia libera ad eliciendum, vel non eliciendum actum, sed ad conservandum illum; atqui Christus non solum fuit liber ad conservandum, sed etiam ad eliciendum actum, aliter non meruisset per actus elicientiam; ergo in primo instanti fuit liber; quia in eo instanti elicit actum, potens in eo instanti actum non elicere. Contra 2. Deus ab aeterno fuit liber ad volitionem hujus mundi; atqui non fuit liber ad cessandum, cum non possit cessare ab actu, quem semel elicit; ergo libertas ad eliciendum non est libertas ad cessandum; ergo ideo Deus fuit liber, quia ab aeterno elicit actum, potens ab aeterno illum non elicere; ac proinde idem dicendum erit de reliquis potentis elicientibus liberè suos actus.

466. Obicies. In instanti, in quo datur actus, non est possibilis omisio; sed voluntas non potest liberè omittere in instanti, in quo non est possibilis omisio; ergo in instanti, in quo voluntas liberè ponit actum, non est libera ad omitterendum. Retorqueo argumentum, ab aeterno non est possibilis in Deo omisio volitionis mundi, & volitio mundi; sed voluntas divina habuit ab aeterno volitionem; ex-

go non potuit habere ab aeterno volitionem omissionis. Respondeo deinde, dist. maj. non est possibilis omisio, quae componatur cum actu, conc. quae, si posita fuisset, exclusisset actum, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam.

Itaque in instanti, quo datur potentia proxima libera, dantur duo signa, causa enim libera est pro priori ad effectum, ac proinde signum causae dicitur signum prius, & signum posterius dicitur effectus; quapropter, licet in signo effectus non sit possibilis omisio effectus, cum effectus, & omisio effectus nequeant in eodem instanti componi; attamen in signo causae liberae est possibilis in eo instanti omisio, quae in eo instanti excludat effectum; atqui etiam est possibilis effectus, qui in eo instanti excludat omissionem; nam in signo causae liberae solum datur potentia indifferens ad ponendum in eo instanti pro suo libito, vel actum, vel omissionem, proindeque, quando ponit actum, ita ponit in eo instanti actum, ut potuisset pro libito suo actum non ponere, sed omittere. Ex dictis

467. Fit 1. Libertatem voluntatis non esse ad ponendum in eodem instanti actum simul, & omissionem, seu ad conjungendum simul actum cum omissione, sed ponendum in eodem instanti pro libito suo, vel actum exclusivum omissionis, vel omissionem exclusivam actus. Quapropter libertas dici solet similtas potestatis, cadente similtate supra potentiam proximam, & expeditam ad utrumque, juxta dicta tota Disputat. 8. non autem dicitur potestas similtatis, quia sic caderet similtas supra extremae libertatis, quae similtatem non habent, cum actus, & omisio non possint simul esse; exinde constitutiva potentiae liberae in actu primo proximo talia sunt, quibus voluntas pro suo libito possit elicere actum exclusivum omissionis, vel omissionem exclusivam actus, aliter non esset ad utrumque proximè libera.

468. Fit 2. Voluntatem ratione sui, & propter solam suam entitatem nudè sumptam non esse potentiam proximè liberam, sed remoram; ut enim sit potentia proximè libera, requiruntur comprincipia indifferentia, quibus hic, & nunc possit elicere vel actum, vel omissionem pro libito suo, & hæc est libertas indifferentiae, quam defendimus contra Hæreticos, & explicavimus tota disp. 8. Calvinus quidem, & Lutherus, quando docebant, voluntatem necessariò operari actum, atque non habere tunc potentiam ad non operandum, non negabant potentiam remoram. Concedebant enim, quod voluntas poterat non operari, si ab alio non necessitaretur ad operandum, solumque negabant, quod ita operetur actum, ut pro suo libito posset illum non operari. Fit 3. Ad construendam libertatem proximè liberam, non sufficere judicium indifferens concipiens objectum indifferenter ad hoc, ut ametur, vel

odiò habeatur, neque sufficere, quòd iudicium rationis sit extrinsecè indifferens ad amandum, vel non amandum, sed ulterius requiri, quòd omnia alia praequisita per se constituentia potentiam proximam amandi, & potentiam proximam non amandi, sint etiam indifferencia, ita ut voluntas instructa illis omnibus praequisitis, hic, & nunc eliciat pro suo libito actum, vel omittat.

470. Fit 4. Nullum praequisitum connexum cum altero libertatis extremo posse esse principium per se constitutum voluntatis ut proximæ liberæ ad amandum, vel non amandum; ratio est, quia, si voluntas haberet praequisitum per se necessarium, quod quidem necessariò conjungendum esset cum actu, non esset

proximè expedita ad utrumque, cum non possit pro libito suo actum non omittere. Fit 5. Debere in eodem instanti, in quo voluntas liberè operatur, dari omnia comprincipia prædicta indifferencia cum exclusionem comprincipij necessitantis; aliter non operaretur voluntas liberè, cum non esset proximè potens ad non operandum, neque libertas in instanti antecedenti sufficiens est, cum voluntas in instanti antecedenti non se liberè exerceat, sed in instanti, in quo liberè operatur. Fit 6. Necessitatem non evententem libertatem esse solum necessitatem consequentem exercitium liberum voluntatis, ut enim aiebat Anselmus, *Necessitas præcedens est, quæ causat rem, necessitas consequens est, quam res facit.*

DISPUTATIO XII. DE LIBERTATE IN ACTU SECUNDO.

471. **D**uas præsertim, & præcipuas difficultates satis inter Theologos agitatas resolvemus circa libertatem in actu secundo. Prima est, an actus liber sit intrinsecè, vel extrinsecè liber? Secunda, an possit dari libertas in actu secundo absque ullo libertatis actu per solam puram omissionem? Primam quidem ex his difficultatibus resolvemus in hac disputatione, alteram in sequenti. Duæ sunt circa primam præcipuæ sententiæ. Prima docet, actum liberum esse extrinsecè liberum, ita, ut tota libertas desumatur ex eo, quòd procedat à voluntate potente hic, & nunc non ponere actum, quin actus talem exigat libertatem. Ita Vasquez, Molina, Arriaga, plurésque alij, quos citat, & sequitur Buccadinus in disputatione 18. de actibus humanis, cap. 1. Secunda sententia affirmat, esse intrinsecè liberos; ita Hurtado, Sfortia, Aldrequius, plurésque alij, quos sequitur Esparza lib. 3. de actib. humanis disp. 14. Pro resolutione sit

S E C T I O I.

An libertas sit intrinseca actui?

472. **A**spero cum secunda sententia: actus liber ex intrinsecis suis dependet à dominio libertatis ad utrumque; sed actus ex intrinsecis suis dependens à dominio libertatis ad utrumque est intrinsecè liber; ergo &c. Consequentia tenet; maj. prob. quia dominium libertatis ex suis intrinsecis est pro priori naturæ ad actum liberum, & actus liber est pro posteriori naturæ; sed quòd ex suis intrinsecis est posterior natura, ex intrinsecis suis pendet ab eo, quòd est naturæ prius; ergo &c. min. prob. talis actus non pendet à dominio libertatis per alium actum, sic enim procederemus in infini-

tum, nec dependentia est pure extrinseca denominationi, sed habita ex ipsa essentia actus. Alter enim, si Deus præberet voluntati comprincipia ad utrumque, quia in eodem instanti elicitus fuit aliquis actus, eo ipso ille actus, qui extrinsecè denominaretur à potentia indifferi, diceretur liber, quòd planè est absurdum, ergo &c. Vide n. 475.

Prob. 2. Principium liberum, ut liberum, ut importans diversam perfectionem, quam principium necessarium, videlicet indifferenciam dominiij elicitivi extrinsecorum opprobiorum, tribuit suis actibus specialem perfectionem, quam non tribuit principium necessarium; sed nequit in actibus illis assignari alia specialis perfectio, nisi quòd sint intrinsecè liberi, sive ex suis intrinsecis pendentes à dominio libertatis ad utrumque; ergo &c. Confirmatur. Principium ut volitivum, & vitale, & ut præditum virtutibus supernaturalibus tribuit suo effectui rationem intrinsecam volitionis, vitalitatis, & supernaturalitatis; ergo, ut liberum tribuat actui suo perfectionem intrinsecam libertatis. Prob. seq. non minus requiritur principium liberum ad actum liberum, quam requiritur principium volitivum ad volitionem, vitale ad effectum vitale, supernaturale ad effectum supernaturalem; ergo, si istæ sunt perfectiones intrinsecè correspondentes effectibus, seu actibus, etiam libertas erit perfectio intrinseca correspondens ipsis actibus.

Prob. 3. Actus creatus vitalis ex intrinseca natura sua est egressio à principio activo, ut activo; ergo actus creatus liber ex intrinseca natura sua erit egressio à principio libero, ut libero; sed actus, qui ex intrinseca natura sua est egressio à principio libero, ut libero, est intrinsecè liber; ergo. Confirmatur 1. Omnis actus liber est volitio sui saltem virtualis; ergo est perfectio sui, ac proinde intrinsecè liber.